



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Francisci Turriani Societatis Iesv, Aduersùs  
Magdeburgenses Centuriatores pro Canonibus  
Apostolorum, & Epistolis Decretalibus Pontificum  
Apostolicorum, Libri Quinq[ue]**

**Torres, Francisco de**

**Coloniae, 1573**

**VD16 T 1629**

Illvstrissimo, Et Reverendissimo D. D. Stanislao Hosio, S. R. E. Cardinali, Et  
Episcopo Varmiensi, Franciscus Turrianus Societatis Iesv.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29685**

# ILLVSTRISSIMO,

ET REVERENDISSIMO D. D.

STANISLAO HOSIO, S. R. E. CARDINA,

LI, ET EPISCOPO VARMIENSI,

Franciscus Turrianus Societatis IESV.



QUIA neque semper, nec omnes, qui ad vtilitatē ecclesiæ vel alijs seculis, vel etiam hoc nostro scripserunt, Reuerendissime Domine, cui nominatim opera sua dicarent, curasse videntur, non enim est hæc scriptorum lex, aut vice legis mos, fieri solet, vt cum clarum & insigne alicuius nomen apparet operi inscriptum, cui opus dicatum sit, continuo quidam tacita quadam curiositate audire aueant, quid causæ in auctore fuerit, vt dicaret: præsertim, si auctor huiusmodi dicationibus alijs in alijs libris suis non studuisse videatur, vt nobis cum in seculo essemus, contigit. Quare, vt curiosis istis & auidis, si qui erunt, principio satisfaciam: Libros hos quinque, quos pro defensione canonum Apostolorum & epistolarum decretalium Pontificum Apostolicorum confecimus, vt tibi dedicatos emittere, plura erant, quæ suaderent: primum, quod cum ipse tanto studio nobilissimam Germaniam tibi charissimam adiuuandi, eosque, qui in ea à recta via Maiorum suorum, miserabiliter à principio seducti, deflexerunt, ad lucem reuocandi teneris, vt nihil magis cupias, nihil aliud te iam diu dies ac noctes sollicitet, tu occurrebas maximè dignus hoc munere. cuius semper aures his beati Iacobi vocibus videntur vndique

A\* 2      circun-

## FRANCISCI TVRRIANI PRAEFATIO

*Iaco. 5.* circumsonare: Fratres mei, inquit, si quis ex vobis errauerit à veritate, & conuerterit quis eum, scire debet, quoniam qui conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, saluabit animam eius à morte: & operiet multitudinem peccatorum. & *Iud. 1.* Iudas apostolus: Vos autem charissimi, memores estote verborum, quæ prædicta sunt ab Apostolis Domini nostri Iesu Christi, qui dicebāt vobis, quoniam in nouissimis temporibus venient illusores secundum desideria sua ambulantes in impietatibus. Hi sunt qui segregant semetipsos, animales, spiritum non habentes. Vos autē charissimi, superædificantes vosmetipsos sanctissime vestræ fidei, in spiritu sancto orātes, vosmetipsos in dilectione Dei seruate, expectantes misericordiam Domini nostri IESV Christi in vitam æternam. & hos quidē arguite iudicatos, illos verò saluate de igne rapientes: alijs autem miseremini in timore, odientes eam, quæ carnalis est, maculatam tunicam. Hoc tu haftenus strenuè & feliciter fecisti, & facis adhuc, libris tuis eruditissimè illis quidem, & vberimè, ac multa sermonis suauitate scriptis, qui alios quidem arguunt, cum ab eis legantur, legendo enim manifesta fiunt, sicut *2. Cor. 4.* Apostolus ait, occulta cordis eorum: alios verò saluant, de igne rapientes. qui enim ab hæresi eripitur, tãquàm torris est erutus de igne, sicut propheta Zacharias de populo Iudaico, iugo seruitutis Babylonicæ liberato, dixit, quem nomine Iesu sacerdotis filij Iosedec significauit. Sacerdos enim pro toto populo secundum scripturam accipi solet, vt in eo ipso loco à beato Cyrillo interprete notatum est. Quinam igitur munus meorum librorum potius debebatur, quàm tibi, qui in hoc studio defendendi aduersus Lutheranos veritatem, tanto cum fructu & laude iam pridem laboras? qui, quod ego pro mea virili parte facio, idem multos alios, ad hoc magis idoneos & præparatos, facere velles. Deindè cum libri tui catholicæ confessionis, & reliqui, quos pro defensione dogmatum catholicorum præcla-

præcla-

AD R. D. D. STANISLAVM HOSIVM.

præclare scripsisti, tanto studio, vtilitate, & delectatione ubique legantur: ipse quoque confidebam, si hi nostri libri in tuo nomine apparerent, & ad tui, tuorumque librorum studiosos profecti essent, libenter ab eis legendos esse: auctoritatisque plurimum & commendationis, ex tuo nomine eisdem accessurum. Habes causas dedicationis meorum librorum. taceo reliquas: quas ab alijs intelligi malo, quam à me dici, in quo modestiæ tuæ & pudoris mei habita est ratio, nè si de tuis laudibus, & in nos meritis verbum facerem, tibi quidem multo plura, quam oporteret, continuò dicere viderer: ego verò, neque si omnia liberè dicerem, quæ dicenda essent, gratè mihi satisfacerem. Dicendum nunc est, cur alij ante me canonibus & epistolis Pontificum patroni non extiterunt: nè aut illi officium neglexisse videantur, aut ego officiosior existimer videri velle: deindè quid istos ad negandum canones apostolorum & epistolas impulerit, vt vndè eorum accusatio prodeat, & quò tendat, ab omnibus intelligatur. Legimus in Euangelio Matthæi & Marci, cum multi falsum testimonium aduersus Dominum dicerent, tacuisse eum, & non respondisse ad vllum verbum, idque, quia (vt Origenes contra Celsum scripsit,) vniuersa vita eius & doctrina ipsa, quam tradebat, & qui eum audierant, & quæcunque fecerat, multo meliùs & clariùs loquerentur, & grauiùs ac vehementiùs pro eo responderent. vndè interrogatus priùs à pontifice de discipulis, & de doctrinis sua, Ego (inquit) palàm locutus sum mūdo: ego semper docui in synagoga & in templo, quò omnes conueniunt: & in occulto locutus sum nihil. Quid me interrogas? interroga eos, qui me audièrunt, quid locutus sim ipsis: eccè hi sciunt, quid dixerim ego. Cùm ergò ad nostram hoc doctrinam, vt cætera, scriptum sit, meritò profectò potest & debet diuini huius silentij imitatio eorum silentium excusare, qui cùm essent alioquì multo magis, quam ipse sim, ad hoc apti & instructi, hæc tamen aduersus tam multa & tam vana, & minimè

Matth. 26.

Mar. 14.

Ioan. 18.

FRANCISCI TVRRIANI PRAEFATIO

conuenientia Magdeburgensium Centuriatorum in Canones sanctorum Apostolorum, & in epistolas pontificum apostolicorum testimonia nihil prorsus respondere voluerunt, non ob aliam causam, nisi quia ecclesia Catholica per cunctum Orientem & Occidentem apostolicis traditionibus, quæ canonibus Apostolorum, & priscorum Pontificum epistolis plurimæ continentur, omni tempore & in conspectu omnium vsa est: & vsque in hodiernum diem vtitur: quo nullum potest grauius testimonium ijs ipsis canonibus & epistolis dari: nec vlla eorum esse maior, neque firmitior defensio: nihil enim eorum, quæ in canonibus, & in epistolis istis sunt, in occulto vnquam fuit: sed potius semper factum est palam. Interrogent ergo Magdeburgenses eos, qui audiuerunt, quid in his vnquam aut reprehenderit, aut negauerint, aut non probauerint? vel, si minus nostris credunt, dicamus eis, sicut scriptum est, Interrogate patres vestros, & dicent vobis. Non dico, vt interrogent eos, qui nunc viuunt, quorum maior pars post Luterum nata est, sed Maiores suos, quæ tunc in ecclesia DEI de sacris mysterijs ab initio traditiones? quæ ministrorum ordinationes? quæ constitutio rei Ecclesiasticæ? quæ doctrina fidei? quæ disciplina vitæ? quæ regulæ ad sciendum, quomodo oporteret, in domo DEI, quæ est ecclesia, ministros eius conuersari? Quid ergo, si illorum silentium, & quidem imitatione euangelici exempli, non excuso solum, sed laudo, non cum ipsis nunc taceo? Canonum horum, & epistolarum studiosissimus ego ex omnibus? minimè: neque enim huius laudis cupidus sum: aut zelus meus ardentior quàm cæterorum? ne id quidem: aut paratus magis & instructus ad recipiendum hanc causam? nec hoc mihi sumo. Quæ me igitur res præter cæteros huc impulit? tempus (inquit Salomon) tacendi, & tempus loquendi. si enim ex causis iustis ratio loquendi & tacendi opportunè, sumenda est, profectò qui iussus est loqui, ab eo, qui & sermonis & silentij eius potestatem  
habet,

*Dent. 32.*

*Ecc. 3.*

habet, opportunè ille quidem loqui iudicandus est. Quare  
 vt illis, qui ante me tacuerunt, fuit tacendi tempus, qui, sal-  
 uo officio, tacere potuerunt, ita mihi tempus loquendi est,  
 cui, sicut Apostolus ait, necessitas incumbit: ministratio <sup>1. Cor. 9.</sup>  
 enim sermonis mihi commissà est, non quidè vt magis ido-  
 neo, sed vt ab alijs fortassè melioribus officijs & grauiori-  
 bus occupationibus magis vacuo. causa itaq; huius mei of-  
 ficij in obediètia posita est tota. Sed forsitan querat aliquis,  
 queres ad hoc oneris mihi imponendum adduxit, non enim  
 canonũ & epistolarũ authoritas sine defensione laborabat,  
 vt indigerent patroni opera: neque videri poterant deserti  
 canones aut epistolę, si nullus, qui accusatoribus responde-  
 ret, extitisset. Quid enim periculi erat? aut quam authorita-  
 tem accusatio istorum habitura sine teste, sine ratione, sine  
 argumento, sine coniectura? verum: at, quia non omnium  
 est scientia, sicut Apostolus ait, nec rursus omnium est, posse <sup>1. Cor. 8.</sup>  
 non falli, alioquin non sic moneret Apostolus: Videte, nè quis  
 vos decipiat per philosophiã & inanem fallaciam secundum <sup>Col. 2.</sup>  
 traditionem hominum, secundum elementa mundi, & non  
 secundum Christum, idcirco qui dixit per prophetam, Ta- <sup>Esai. 42.</sup>  
 cui à seculo, nunquid semper tacebo? cum tempus adesse  
 visum est, voluit, nè incauti & imperiti fallerentur, vt exiret  
 alienius sermo, & in vulgus emanaret, quo istorũ commen-  
 ta, machine & fallacie coarguerentur. multi enim diuersis  
 temporibus heretici extiterunt, qui cum testimonia, vt ve-  
 risimile est, in ecclesiasticas apostolicarum regularum tra-  
 ditiones quęsuissent, nec inuenire possent, nulla enim inue-  
 nisse, aut obiecisse legimus, tandem nouissimis temporibus  
 ante paucos annos duo paria testium velocium, iuxta pro- <sup>Pro 12.</sup>  
 uerbiũ Salomonis, & linguam iniquam habentium, Mag-  
 deburgi surrexerunt ad dicendum falsum testimonium in ec-  
 clesiasticos, eosdemque saluberrimos & necessarios canones  
 Apostolorum, & in sanctissimas, atque omni sapientia, &  
 grauitate sententiarum, ac decretorum salutarium refer-  
 tas

## FRANCISCI TVRKIANI PRAEFATIO

tas Apostolicorum pontificum epistolas. Si quis verò quaer-  
 rat, vnde isti surrexerunt? ex quo confessu, aut grege? Ex eo-  
 rum sciat, qui ab ortu suae disciplinae omnes apostolicas tra-  
 ditiones, si possent, velut morte afficere, id est, omni authori-  
 tate & reuerentia spoliare, & obliuione delere decreuerunt,  
 aliquid simile dicentes, vt est in Sapiaentia Salomonis de falsis  
 in Dominum testibus prophetatum: Venite, negemus  
 apostolicos canones cum pontificum Apostolicorum epi-  
 stolis, quae Apostolicis traditionibus plene sunt: quia inuti-  
 les sunt nobis, & contrarij operibus nostris: & impropere-  
 rant nobis peccata legis Euangelicae & Apostolicae: & diffama-  
 mant in nos peccata disciplinae nostrae, facti sunt in redargutionem  
 cogitationum nostrarum: graues sunt nobis ad videndum,  
 quoniam dissimilis est vita illorum: id est, quae secundum  
 canones Apostolicos, & harum epistolarum decretales  
 traditiones instituitur: & immutatae sunt viae illorum:  
 tanquam nugaces aestimati sumus ab illis. Videamus ergo,  
 dixerunt veteres illi Iudaei, si sermones illius veri sunt: &  
 tentemus, quae ventura sunt illi. Sic ab istis factum est, tenta-  
 ta est ab eis reprehensio & criminatio Canonum & Epistol-  
 arum, quia inde istorum disciplina palam condemnatur.  
 feceruntque hinc, quod in epistola Iacobi fratris Domini  
 primus ausus est Martinus Luterus. Quia enim non potuit  
 illud pati, fides sine operibus mortua est, quo tam aperte  
 haeretica sua opinatio de fide sola iustificante redargueba-  
 tur, totam epistolam reiecit. Isti igitur, qui ab euangelio,  
 quod praua sua intelligentia transuertere volunt, se Euangelicos  
 appellarunt, omnes traditiones non scriptas, semel negant.  
 quos cum premimus, & ad traditionem, quae per successionem  
 presbyterorum in Ecclesia, vt beatus Irenaeus libro tertio  
 contra haereses ait, custoditur, prouocamus, eamque in  
 antiquorum patrum libris indicamus, non iam corruptam esse  
 dicunt, vt olim Cerinthus & Basilides ac Valentinus aiebant,  
 cum ad eam similiter à Catholicis prouoca-

uoca-

uocabantur, sed eam penitus repudiant: & corruptelam san-  
 næ doctrinæ vocant. ac denique quæcunque in apostolicis  
 scriptoribus ad Apostolorum traditiones pertinent, vt sunt  
 plurima tum in alijs, tum in canonibus, & epistolis prisco-  
 rum pontificum, nauos esse aiunt eorum authorum, & in-  
 clinationes doctrinæ. Hinc ortæ centuriæ ecclesiasticæ hi-  
 storia, capita xv. ceu totidem fontes ac sedes eorum omni-  
 um, quæ describuntur ac notantur, complexæ, quas Mat-  
 thias Flaccius Illyricus, & militia eius contubernalis Mag-  
 deburgenses composuerunt: & adhuc fortè componunt: in  
 quibus tria præcipua capita sunt, omnium ferè dogmatum  
 Luteranorum euerricula, de doctrina, de cæremonijs, & de  
 gubernatione ecclesiæ, siue de ecclesiastica politia, vt ipsi  
 loquuntur. Huc omnia, quæ in omnium ætatum authori-  
 bus legere & obseruare potuere, contulerunt, ita vt quæ-  
 cunque cum doctrina & disciplina sua discrepare vide-  
 ant, aut eorum autores negent: aut, cum negare non au-  
 dent, neuos esse dicant eorum authorum, & sanæ doctrinæ  
 corruptelas. vt huius modi machinis arcem Apostolicæ tra-  
 ditionis, in qua stamus, oppugnent: discipulisque suis, atque  
 alumnis, quos decipiunt, suadeant, ea dogmata, quæ Catho-  
 lici profitentur, neque fuisse ab initio, nec ea nos, vt prædi-  
 camus, per multos testes audiuisse, sicut ad Timotheum Pau- 2. Tim. 2.  
 lus scripsit. quod quidem in eos omnes, qui per verbū Apo-  
 stolorum in Christum crediderunt, conuenire debet. quod  
 enim ab initio, vt beatus Ioannes ait, auditum est, necesse 1. Ioan. 1.  
 est, vt in quibus permanet, per multos id testes auditum sit,  
 quorum neutrum quadrat in nouam Luteri disciplinam,  
 nec enim ab initio fuit, sed heri & nudiustertius: neque  
 per multos testes, sed per Luteri discipulos audita est. Itaque  
 cum Luterani traditionem sine scripto semper antea con-  
 tempserunt, intellexerunt tandem Magdeburgenses centu-  
 riatores, vt acutiores planè & sagaciores, quanti ponderis  
 & authoritatis ea esset, & conscientia conuicti, cum dissimu-

-otius

B\* lare



## FRANCISCI TURRIANI PRÆFATIO

lare non possent, in nulla re iam pridem maiore studio laborant, quàm in SCRIPTIS eorum tentandis, reijciendis, & calumniandis, qui sanctos Apostolos, aut eorum discipulos audierunt: & tanquàm eorum successores ea, quæ ab illis acceperunt, & per sermonem eorum didicerunt, suis item successoribus, & illi alijs deinceps vsque ad nostram ætatem tradiderunt. Hac enim traditione non scripta, ecclesia Catholica per vniuersum orbem testimonia Diuinarum scripturarum obfignat, vt Eusebius Cæsareensis author eruditissimus, in libris contra Marcellum Ancyre episcopum, his verbis scripsit, ἡ ἐκκλησία ἀπὸ περάτων γῆς ἕως περάτων τὰς ἀπὸ τῶν θείων γραφῶν μαρτυρίας ἐξ ἀγράφου παραδόσεως ἐπισφραγίζει. quare scripturæ & scripturarum testimonia, quæ hac obsignatione carent, non possunt fideliter custodiri, sed adulterari potius necessè est. Hoc & qui huiusmodi scripturis, sigillo traditionis carentibus, vtantur, hi sunt *ἱεροσολοιγράμματος*, dicamus nos sacrilegos prædones scripturarum: sic enim eos vocat Gregorius Nazianzenus, qui ijs, inquit, quæ scripta sunt, sensum surripiant. Est ergò istorum consilium in centuriarum fabrica, negare testes omnium seculorum, per quos omnibus temporibus & omnibus locis, vtraque lingua Græca & Latina, tum legitimus sensus verbi DEI traditus est nobis, & ab omnibus auditus: tum disciplina regulæ Ecclesiasticæ, & Ecclesiasticæ consuetudines Apostolicæ traditionis, omni memoria ætatum, in omnibus Ecclesijs contestatæ sunt. Vt autem facilius, ac probabiliore specie veritatis & authoritatis hoc facere viderentur, nouum genus historiæ Ecclesiasticæ, accommodatè ad fallendum scribere aggressi sunt, partim cum veris dogmatibus, partim cum pestiferis & venenatis disciplinæ suæ commentis permistum & confusum, vt facere solent, qui mortiferam potionem porrigunt: in qua ordine suo de cuiusque seculi scriptoribus meminerunt, ex quibus quæ esset tunc in Ecclesia de singulis fides, doctrina & morum disciplina, tanquàm Euangelici trapezite iudicium faciunt, ità vt cùm

autho-

authores de eo, quod ipsi profitentur, taceant, verbi gratia, si  
 de principatu Pontificis Romani, aut de Purgatorio non  
 meminerunt, continuo concludant, non credidisse eos fu-  
 isse, alioqui meminissent: cum autem meminerunt, si ne-  
 gare eos non audent, nequos esse dicunt & corruptelas. Ipsi  
 itaque Magdeburgenses diligenter testes nostros producunt:  
 & eorum testimonia recitant: id est, gladios nostros distrin-  
 gunt, & postquam in eos irruerunt, dicunt se nihil mali pas-  
 sos. quia, ut de patre eorum ait sanctus Iob, in stipulam <sup>Iob 42.</sup>  
 versi sunt eis lapides funde: quasi stipulam estimant malle-  
 um, & derident vibrantem hastam. Quare quod nos facere  
 oportebat, & sepe facere soliti sumus, ut constet, audisse nos  
 per testes omnium seculorum ea, que docemus: & ut Apo-  
 stolus in Epistola ad Colossenses precepit, idem nos sapere, <sup>Col. 2.</sup>  
 quod a principio, & in eadem regula fidei & Ecclesiastica  
 disciplina permanere: hoc Magdeburgenses nutu atque  
 providentia D E I faciunt, ut efficiatur in eis, quod idem  
 Dominus per sanctum Iob dixit: Comprahendam sapien- <sup>Iob 5.</sup>  
 tes in astutia eorum, & iterum, Nouit Dominus cogitatio- <sup>Isal. 93.</sup>  
 nes eorum, quoniam vanae sunt. Ita factum est, ut sicut in  
 libro Iudicum de Madianitis & Amalechitis scriptum est, <sup>Iud. 7.</sup>  
 miserit Dominus gladium in omnibus castris Luteranorum:  
 ut Magdeburgicas centurias legendo, mutua se caede tru-  
 cidarent. Quandiū enim Luterani nubem testium nostro-  
 rum non videbant, quam Centuriatores isti studio & labo-  
 re diuturnae lectionis ex omnibus seculis a principio Eu-  
 angelij in Centurijs suis coegerunt, facilius eorum profa-  
 nae vanitates & fallaciae, latere & dissimulare poterant:  
 nunc vero facti sunt tanquam sorices, ut in prouerbio est,  
 indicio suo pereuntes. Referant igitur Luterani Magde-  
 burgensibus suis gratiam, per quos consilio D E I factum est,  
 ut ipsis testimonia omnium aetatum recitantibus, Apostolici  
 sensus scripturarum, & ecclesiasticae Constitutionis, ac disci-  
 plinae traditio, que in ecclesia custoditur, omnibus hominibus  
 palam

FRANCISCI TVRRIANI PRAEFATIO

palàm iam ostensa & demonstrata sit. Pulchros ergò patronos Lutherani reppererunt, qui vel eo se ipsi argumento, conscientia constricti, produnt, & reos faciunt, quòd, cùm nullum alioquì testem suum in Centurijs producant, per singulos tamen centenos annos, id est, per singula secula diligenter colligunt nostros, qui contra ipsos testimonia dicant: vt eos postea tanquàm fictos impudenter reijciant: vel tanquàm corruptos, temerè refellant. quo quid dementius fieri potest? **Quis** enim illum reum sanæ mentis esse credat, qui cùm nullum, qui ipsi testimonium tribuat, reperire queat, in indagandis & colligendis aduersùm se testibus laboret, vt repertos, & ad dicendum testimonium à se vocatos, sua tantùm autoritate postea refutet? Quarè hoc solùm operis & negocij reliquerunt tum ijs, qui legendo eorum Centurias decipi nolint: tum ijs, qui vel iam deceptos, ex errore eripere, vel, nè alij in errorem inducantur, præcauere studeant, nempe vt videant intentis (vt dici solet) oculis, quàm sine iudicio ac nulla ratione testes nostros respuant. Nostrorum enim testium grauissima confirmatio, est consuetudo omnium Ecclesiarum & omnium seculorum. quæ cùm aliundè, quàm ex Apostolorum traditione profecta esse non possit, etsi testes negent, consuetudine tamen certissimo teste, qui negari nulla malitia potest, eos conuincimus. Quarè, tametsi Apostolici Canones à Clemente Romano monumentis literarum prodiiti nunquàm essent, & epistolæ Pontificum Apostolicorum adhuc ignorarentur, tamen Ecclesiasticæ regulæ Sanctorum Apostolorum, & epistolarum decreta, ex Apostolica institutione deducta, nihilo minùs in more Maiorum, & in consuetudine Ecclesiarum fuissent, quàm nunc sunt. id quod singularim de Canonibus libro primo, & de Decretis Epistolarum Pontificum Apostolicorum extremo libro fusè docebimus. Nihil itaque ad summam causæ & propositi sui Magdeburgenses, canones & epistolas negando, profecerunt, quorum consilium erat, traditiones Apostolicas delere. Etenim si res gesta,

sta,

sta, inquit Callistratus iuriconsultus, sine literarum quoque consignatione, veritate factum suum præbeat, non idèò minùs valebit, quòd instrumentum nullum de ea re intercessit. Huc etiam pertinet, quod ait doctissimus author Tertul. in libro de Corona militis: Nihil interest, utrùm consuetudo, quæ idoneus testis est traditionis, scriptura, an traditione consistat, quandò & legem ratio commendat. Porrò, inquit, si lex ratione constat, lex erit omne, quod ratione constiterit, à quòcunque productum. neque tam querendus est author, quàm autoritas consuetudinis, cuius est, inquit idem, traditio inuentrix, ratio confirmatrix: fides obseruatix. ex qua Tertulliani Oratione facilè iam intelligi potest, quam nunc accusationem in iudicium afferant Magd. & quam nos defensionem. Illi enim consuetudinem à S. Apostolis institutam & traditam, quam nos habemus, & ecclesiæ Dei habent, Apostolicis regulis & decretis per epistolas Pontificum Apostolicorum denunciatis & editis, vtendi accersunt: ecclesiarum fidem, quæ illa semper seruauit, criminantur: rationem, in qua consistunt, omnia in ecclesia honestè & secundùm ordinem faciendi, arguunt. nos contrà, hæc omnia defendimus, non quòd defensionem propter se requirant: quæ enim perenni & contestata veritate fundata sunt, lædi non possunt: sed nè ignari decipiantur, & nè imitatio exempli periculosa negandi hæc & alia eiusmodi, alijs prodatur. Ad omnia ergò, quæ in canones Apostolorum obiecerunt, ità (vt spero) primo libro respondebimus, vt omnibus pateat, nihil aliud ea esse, quàm commenta & calumnias, eisquæ vel ignorantiam, vel malitiam accusatorum manifestè redargui. atque hoc solum eos velle, vt quales ipsi sunt, tales nos, si assequi possint, appareamus, id est, sine vllò ordine, sine vllis legibus ecclesiasticis, sine vllis regulis, à S. Apostolis derelicti, & ad illa tempora reuocati, de quibus scriptum est, In illis diebus non erat rex <sup>Indic. 17.</sup> in Israel, sed vnusquisque, quod sibi rectum videbatur, hoc <sup>18. 21.</sup>

## FRANCISCI TVRRIANI PRAEFATIO

E. Cor. 14.

faciebat: vt iam non opus sit scire, quemadmodum, (vt Apostolus precepit) omnia apud nos honestè & secundum ordinem fiant, quod quidem sine canonum scientia cognosci non potest. Quia verò non satis est aliena refellere, sed propria etiam probare opus est, secundo loco eosdem canones Apostolorum tum firmissimis & permultis testimonijs veterum conciliorum & patrum sanctorum, tum rationibus & argumentis probabimus. Deinde reliquis 4. libris eodem ordine ad omnes reprehensiones, quas epistolis Pontificum Apostolicorum opposuerunt, sic item (vt confido) responsum erit, vt responsione non solum leuitas, immò vanitas earum coarguatur, sed grauitas, antiquitas, & vera ac solida auctoritas epistolarum demonstratur. id quod extremo loco tota iam accusatione à Magd. perorata, & à me conuicta, yberius fiet, pluribus testimonijs citatis, multis rationibus & documentis ostensis, ac plurimis coniecturis & indicijs inuestigatis. Quia verò sunt quidam ita difficiles & morosi, vt nihil illis satisfaciatur, admonendi sunt isti, cum ea, quæ contrà dicuntur, refellimus, non tam quæri oportere, quid rursus ex aduerso vtcunque responderi adhuc possit ab ijs, quibus nihil satis est, quàm consideratè expendi, quid cum ratione possit. non enim is existimandus est potens esse ad arguendum eos, qui contrà dicunt, qualem Apostolus requirit, qui arguendo efficit, vt nihil cōtrà dicatur: sed vt nihil rectè contrà dici queat. sic enim iste obtinuerit illud ἀνεξέλεγκτον, quod diuinus Diony. à Sosipatro poscit: dicamus nos pluribus verbis, quando vno non possumus, non posse redargui, quod dicitur. Neque rursus si nō omnibus de veritate canonū Apostolorum, & epistolarum Pontificum Apostolicorum disputatione vlla tandem persuasum erit, continuò nō erit demonstratum. Dicendum enim est, quod beatus Petrus dixit, cum vellet confutare, quod Simon falsò contendebat, non posse, qui impius esset, verum somnium videre. καὶ τοῦτο φησὶ ψεῦδος εἶναι,

Ex libro 8.

καὶ περὶ τούτου ἀγράφως, καὶ ἐγγράφως ἀποδείξαι δύναμαι, πάνσαι δὲ οὐκ ἐπαγγέλλομαι.

AD R. D. D. STANISLAVM HOSIVM.

γέλλομαι. ὁ γὰρ πρὸς ἑρῶτα μοχθηρᾶς νέυσασ γυναικὸσ εἰσ ἑτέρασ κατὰ πάντα alterius edis  
καλῆσ συμβίωσιν νόμιμον τὸν ἑαυτοῦ οὐ μετατίθησιν νοῦν, ἐνίοτε καὶ ἑαυτοῖσ συ- τidiū Recognis  
νειδότεσ τὴν κρείττονα, προειλημμένοι ἀγαπᾶσι τὴν χείρονα, τοιοῦτόν τι, καὶ σὺ tionū Clam-  
πάσχωσ ἀγνοεῖσ. Interpretemur nos Latine: Fallum, inquit Pe-  
trus, est hoc, idque ex ijs, quæ scripta sunt, & quæ non sunt, ef-  
fici, demonstrare quidem possum: persuadere verò ita esse, nō  
promitto. Qui enim ad amorem mulieris turpis & foedæ se in-  
clinavit, non traducit animum suum ad viuendū ex lege con-  
iugali cum alia, licet ex omni parte pulchra. quin etiam in-  
terdum non ignari, quæ sit melior, amore antè occupati,  
peiores diligunt. Hoc tibi, Simon, imprudenti accidit. Vere-  
or, nè hoc ipsum nunc Magdeburgensibus & alijs Luteranis  
eueniat, vt amoris sectæ suæ anticipatio non sinat transferri  
eorum mentes ad contemplandam meliorem formam Apo-  
stolicæ disciplinæ, quæ in canonibus Apostolorum & episto-  
larum Pontificum Apostolicorum decretis continetur, qui-  
bus vniuersus status ecclesiæ ceu neruis quibusdam colliga-  
tur. sed tempus est iam, Stanislæi Hosi Card. lectiss. & Domine  
venerande, vt propositum aggrediamur.

*Nos Frater Franciscus de Pisis, sacre Theologiæ profes-  
sor, & in toto dominio Florentino vice Inquisitor generalis, viso  
opere hoc quinque librorum pro defensione sacrorum Canonum  
Apostolicorum, & epistolarum Pontificum Apostolicorū, con-  
tra hæreticos composito à patre Francisco Turriano societatis  
Iesu, & tanquam catholico & utili à nobis approbato, conces-  
simus licentiam illud imprimendi die Martij tertia mensis, an-  
no Domini M. D. LXXII.*

CATA